



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. V. Quam vim probandi habeant exempla desumpta, seu extracta ex originali instrumento.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. V.

*Quam vim probandi habeant exempla desumpta, seu extracta ex originali instrumento*

**R**egulatiter tales copiae sine originali non probant. *c. Si scripturam 1. h. t.* Potest tamen si auctoritate Iudicis ordinarii vel delegati ex justa causa ad petitionem partium à publica persona, & citatis illis, quorum interest, ex originali transcriptum est (vulgò Vidimus dictum) eandem vim probandi habere, quam habet originale *c. Si instrumenta 16. h. t.* Si tamen testetur transcribens Notarius, quod originale nullà sui parte fuerit vitiatum; neque tamen semper auctoritas Iudicis intervenire debet in tali exemptione instrumentorum, prout fit in casu, quo ex utriusque partis consensu & rogatu Notarius tale exemplum conficit; vel si ab eodem Notario sit exemplatum, qui originale conficere iussus fuerat; vel quando propter antiquitatem exemplum, plenè fides adhiberetur, etiamsi non constet, quòd supra dicta requisita in eo observata sint, vel denique si inter acta iudicii & processus descriptum ex originali apud Iudicem reperitur, secundum integrum illius tenorem productum, & collatum à Notario, &c.

## §. VI.

*An probent, & quam fidem faciant instrumenta, seu scriptura privata?*

**S**criptura privata, quae manu propria quidem scribentis scripta, vel subscripta est, nullà tamen testium subscriptione, sigillo, aut alio adminiculo est munita, nihil probat. *L. Instrumenta 5.*

*Cod. De probat.* Cùm non sint authenticae tales scripturae: imò nec ex scriptura, quae testium subscriptione munita, in iudicio exhibita, si testes in illa scriptura decesserint, probant aliquid, nisi trans publicè à Notario v. g. confecta sint, aut authenticum sigillum habeant, per quod probari possit, prout rescribit *Alexand. 3. in c. Scripta 2. h. t.* & si syngrapham talem vel apocham neget aliquis à se scriptam, vel subscriptam, nihil probat contra illum, nisi aliunde probetur ob scriptam, vel subscriptam fuisse. Si vero agnoscat scripturam talem aliquis à se scriptam, vel subscriptam, non probat quidem in favorem scribentis, sive scribente, neque in alterius cupidum praedictum, ob periculum fidei, quod subesse potest contra ipsum transcribentem, si causa debendi v. g. expressa in illa sit, plenè probat, quia propriae confessioni quivis acquiescere debet, non autem si causa debendi non sit expressa, uti colligitur ex *L. Scripturas 11. Cod. Qui potioris in pag. 10.* Quod idem de cautione, sive promissione censendum est, nullam scilicet obligationem, aut actionem producat, si causa expressa non sit, ob quam promissio talis facta est *c. Si cautio 14. h. t.* Cùm obligatio non oriatur, nisi ex causa, qui si expressus non sit, ut illius habeatur confessio, nec probari potest, non valet quidquam talis cautio in praedictum alicujus, cum per errorem facta creditur talis promissio, nisi in donatione a divite pauperi facta, vel ob praecedentia merita v. g. praesumi possit donatio facta causà etiam non expressà; vel facta fuerit promissio talis loco pio, ob favorem